

vel si quis absit ex ipsis, aut interesse noluerit, succedat presentia trium testium, iudem ipsius civitatis locupletum, et bonae opinionis, absque praedictis tamen veritatis inquirenda per servorum questionem, et heredis, testiumque iuramentum. Quo non observato, solida legata praestet, etsi fines hereditarios excedant. Nulla autem quaestio- num talium, vel litium excedat annum. Anno enim culpa heredis transacto cadet a relictis.

In AUTHENT. ut sponsal. larg., § Si quando, col. 9, tit. 2, Novell. 119, cap. 11.

Sed et in ea re cessat Falcidia, quae ita relicta est, ne alienetur, sed permaneat apud successores ejus, cui relicta est.

In AUTHENT. de eccl. tit., § Si autem heres, col. 9, tit. 14, al. 6, Novell. 131, cap. 12.

Similiter Falcidia cessat in his, quae ad pias causas relicta sunt. 8. Idem, A. Aurelio.

Irritum quidem propterea testamentum fratris tui esse non potest, quod ex causa fideicommissi obligatus fuit, ut, si sine liberis prior decederet, paternam tibi hereditatem redderet: sed licet te heredem scripserit, in imponenda tamen legatorum ratione, quibus te oneratum esse suggeris, fideicommissum debitum aris alieni loco deduci oportet: in superque in residuo legis Falcidiae beneficium vindicabis. — P. P. id. septemb. MAXIMO 2 et PATERNO CONSS. 234.

9. Imp. GORDIANUS A. Mestriano.

Error facti quartae ex causa fideicommissi non retentae repetitionem non impedit. Is autem qui sciens se posse retinere, [universum restituit] conditionem non habet: quin etiam si ignoraverit, cessat repetitio. — P. P. 15 kal. novemb. PIO et PONTIANO CONSS.

10. Idem, A. Diogenio.

Quamquam pater tuus fratrem tuum rogaverit, ut si sine liberis diem suum fungeretur, portionem hereditatis tibi restitueret, tamen intestato eo diem suum functo, quod beneficium legis Falcidiae habere potuit, ad successorem intestati pertinere: ideoque non immerito sororem tuam, quae simul tecum ab intestato ei successit, emolumentum, quod retinere potuit, portionem sibi vindicare, manifestum est. — P. P. 5 id. novemb. GORDIANO A. 2 et POMPEIANO CONSS. 242.

11. Idem, A. Maximae.

Si (ut allegas) pater tuus eam portionem, ex qua te fecit heredem, fratribus tuis restituere iussit, certisque speciebus pro Falcidia praecipit esse contentam: auxilium legis Falcidiae, quod imploras, apud suum iudicem non prohiberis flagitare. — P. P. 7 kal. novemb. ANIANO et PAPPo CONSS. 244.

12. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. Justino.

In donationibus inter virum et uxorem factis [legem] Falcidiam habere locum, quando fideicommissi partibus funguntur, nonnullis juris placitis comprehensum est. — P. P. 16 kalend. Jul. ipsis AA. 4 et 5 CONSS. 290.

13. Idem, AA. et CC. Zetho.

Si ea, cujus filium tuum servum significas, ex iudicio defuncti, quem fideicommissariam libertatem ei reliquisset, aliquid consecuta est: ad restituendam fideicommissariam libertatem non immerito obnoxia constituta debet urgeri. Nam fideicommissum ei relictum usque ad eum modum potest petere, quem deducto pretio servorum, quos fuerat rogata manumittere, relictorum substantia patitur. — S. kal. Maji, HERACLIAE, AA. CONSS. 295.

14. Idem, AA. et CC. Faustinae.

Licet adieris patris hereditatem, et confusione pro parte, qua eidem successeris, extingatur actio, quam tibi [adseris] competere, eo quod ex administratione tutela multa cum debaseis contendis, pro residuis tamen partibus coheredes convenire sine prohiberis: et fundum a te relictum eatenus, quoad deducta quarta residui substantia patitur, prestare necesse habes. — Dat. 6 kal. octob. Viminacii, AA. CONSS. 295.

15. Idem, AA. et CC. Pomponio.

Si praediorum dotis apud te iure remanentis instrumenta verbis praerari, vel testamento, vel codicillis uxori tibi dari mandavit, ejus judi-

15. Atrog. l. 1, § 5, D. eod. — 44. l. 6, pr. sup. eod. — l. 1, § 2, D. si cui plus quam per leg. Falcid. — 45. l. 7, in 10, sup. de jur. et facti ignor. — 46. l. 1, sup. l. 1, in 1, l. 1, sup. de fideicom. — l. 20, D. de donationibus. — 47. l. 10, sup. l. 1, § 5, D. de jur. et facti ignor. — 48. Enfer. l. 6, sup. tit. pag. — 49. Adde l. 41, § 3, verb. infra Falcidia, et de vulg. et pupill. substit. — 20. l. 18, in 1, h. l. 1, abrog. N. 1, e. 2, in fin. — 21. Adde l. 15, § 5, D. h. l. — l. 3, § 1, D. de donat. inter vir. et ux. — 22. l. 24, § 15, D. de fideicommiss. libert. — 23. l. 5, sup. h. l. — l. 5, sup. de hered. actio. — 24. l. 12, sup. de

cium successores implere compellentur: cum instrumentis praediorum domino relictis Falcidia nulla possit intervenire quaestio. — S. 16 kal. februar. STIMII, CC. CONSS. 294.

16. Idem, AA. et CC. Diomedii.

Successores legata, vel fideicommissa, si as alienum hereditarium defuncti substantiae sine occupaverit, legis Falcidiae jussio peti, item Trebelliani senatusconsulti praecipuum exigi non concedit. — S. 16 kal. febr. STIMII, AA. CONSS. 299.

17. Idem, AA. et CC. Cajo.

A coheredibus relicta legata, quatenus modus legis Falcidiae praestitutus patitur, posse peti, certissimi juris est. — Suppos. 3 kal. novemb. ANCHIALI, CC. CONSS. 300.

18. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni P. P.

Si quis quadringentorum forte solidorum habens substantiam, jussit, heredem non aliter adire hereditatem, nisi prius trecentos octoginta solidos cuidam persolvat, vel aliam quantitatem, quae diminueret Falcidiae rationem potest: sancimus, heredem, si adierit, legis Falcidiae beneficium sustentatum, replere quidem, quod ad Falcidiam deest: et prius eo dato vel retento, sive una datio est, quae celebrari disposita fuerit, sive in multas dividitur personas, praefata legis immutatum habere beneficium. Si enim cum mortis causa donatio procedat, et haec modum legis Falcidiae excedat, heres post aditionem repetit eam pecuniam, quae ultra modum legis Falcidiae corporaliter quidem data est, lege autem in patrimonio testatoris permansit: quare non in praesenti casu et viventibus et morientibus providemus, et eorum ultima elogia conservantes, et commodum hereditarium non minuentes? — Dat. kal. nov. Constantinop. post consulatum LAMPADII et ORESTIS VV. CC. 531.

19. Idem, A. Joanni P. P.

Cum certum sit, heredem, qui plenam fidem testatori exhibet, in solidum legata dependentem, non posse postea rationem legis Falcidiae praedentem repetitione uti, quia videtur voluntatem testatoris sequi: jubemus hoc simili modo firmum haberi, et si cautionem super integra legatorum solutione fecerit: quod veteribus legibus in ambiguitatem deductum est. In utroque etenim casu; id est, sive solverit, sive super hoc cautionem fecerit, aequitatis ratio similia suadere videtur. — Dat. 13 kal. novemb. Constantinop. post consulatum LAMPADII et ORESTIS VV. CC. anno secundo, 532.

TIT. LI.

DE CADUCIS TOLLENDIS.

1. Imp. JUSTINIANUS A. Senatui urbis Constantinopolitanae.

Et nomen et materiam caducorum ex bellis ortam et auctam civilibus, quae in se populus romanus movebat, necessarium duximus, patres scripti, in pacificis nostri imperii temporibus ab orbe romano recludere: ut quod belli calamitas introduxit, hoc pacis lenitas sopiret. Et quemadmodum in multis capitalibus lex Papia ab anterioribus principibus emendata fuit, et per desuetudinem abolita: ita et a nobis circa caducorum observationem invidiosum suum amittat vigorem, qui et ipsis prudentissimis viris displicuit, multas inventivitas vias, per quas caducum non fieret. Sed et ipsis testamentorum conditoribus sic gravissima caducorum observatio visa est, ut et substitutiones introducerent ne fiant caduca: et si facta sint, ad certas personas recurrere disponent: vias recludentes, quas lex Papia posuit in caducis: quod et nos fieri concedimus. Et cum lex Papia jus antiquum, quod ante eam in omnibus simpliciter versabatur, suis machinationibus et angustiis circumcludens, solis parentibus et liberis testatoris usque ad tertium gradum, si scripti fuerant heredes, suum imponere jugum erubuit, jus antiquum intactum eis conservans: nos omnibus nostris subjectis sine differentia personarum [hoc] concedimus. — § 1. Cum igitur materiam et exordium caducorum lex Papia ab aditionibus quae circa defunctorum hereditates procedebant, sumpsit, et ideo non a morte testatoris, sed ab apertura tabularum dies cadere legatorum senatusconsulta quae circa legem Papiam introducta sunt, corrigentur; ut quod in medio deficiat, hoc eadem fiat: primum hoc convenerunt, et antiquum statum renovantes, sancimus, omnes habere licentiam

testam. mil. l. 15, sup. de legat. 2 ult. Inst. h. l. — 25. Fac. l. 22, pr. D. eod. — l. 55, § 1, D. de hered. instit. — 26. Atrog. N. 1, e. 2, in fin. — 27. l. 5, sup. h. l. — 28. l. 1, § 5, D. quod legator. adde l. 77, § 2, § 6, in fin. D. de legat. 2. — 29. l. 1, sup. h. l. — 30. l. 15, § 1, sup. de testam. — 31. l. 20, D. de donationibus. Tit. l. 1. l. 27, in 28, sup. de nuptis: l. 1, l. 2, in 1, in fin. ponis ex lib. — 2. Fac. l. 10, D. de jur. licet. — 3. l. 29, in fin. D. de legat. 2.

a morte testatoris adire hereditatem: similique modo legatorum, vel fideicommissorum pure vel in diem [certam] relictorum diem a morte testatoris cadere. — § 2. Et cum triplici modo ea quae in ultimis elogiis relinquuntur, contingebat deficere; consentaneum est, et tempora eorum, et nomina manifeste exponere: ut quod vel tollitur, vel reformatur, non sit incognitum. Ea etenim, vel his relinquuntur, qui in rerum natura tunc temporis, cum condebantur ultima elogia non fuerant (forte hoc ignorantibus testatoribus: et ea pro non scriptis esse leges existimabant: vel vivo testatore is, qui aliquid ex testamento habuit, post testamentum ab hac luce subtrahatur: vel ipsum relictum exspirabat, (forte quadam conditione, sub qua relictum fuerat, deficiente: ) quod veteres appellabant in causa caduci: vel mortuo jam testatore hoc, quod relictum erat, deficiebat, quod aperta voce caducum nuncupatur. — § 3. In primo itaque ordine, ubi pro non scriptis efficiebantur, ea quae personis jam ante testamentum mortuis testator donasset, statutum fuerat, ut ea omnia bona manerent apud eos, a quibus fuerant derelicta: nisi vacuatis vel substitutus suppositus, vel conjunctus fuerat aggregatus: tunc enim non deficiebat, sed ad illos perveniebat, nullo gravamine (nisi perraro) in hoc pro non scripto superveniente: quod et nostra majestas quasi antiquae benevolentiae consentaneum, et naturali ratione subnixum, intactum atque illibatam praecipit custodiri in omne aevum valitum.

§ 4. Pro secundo vero ordine, in quo ea vertuntur, quae in causa caduci fieri contingebant, vetus jus corrigentes, sancimus, ea, quae ita evenierint, simili quidem modo manere apud eos, a quibus sunt derelicta, heredes forte, vel legatarios, vel alios, qui fideicommissum gravari possunt: nisi et in hunc casum, vel substitutus, vel conjunctus eos antecedit. Sed omnes personas, quibus lucrum per hunc ordinem defertur, eas etiam gravamen, quod ab initio fuerat complexum, omnimodo sentire: sive in dando sit constitutum, sive in quibusdam faciendis, vel in modo, vel conditionis implendae gratia, vel alia quacunque via excogitatum. Neque enim ferendum est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit. — § 5. In novissimo autem articulo, ubi proprie caduca fiebant, secundum quod praediximus, etiam clausis tabulis tam existere heredes, quam posse adire, sive ex parte sint, sive ex asse instituti, censemus, et dies legatorum et fideicommissorum (secundum quod praediximus) a morte defuncti cadere. Hereditatem etenim, nisi fuerit adita, transmitti nec veteres concedebant, nec nos patimur: exceptis videlicet liberorum personis, de quibus Theodosiana lex super hujusmodi casibus introducta loquitur: his nihilominus, quae super his, qui deliberantes ab hac luce migrant, a nobis constituta sunt, in suo robore manserunt. — § 6. Liberatibus proculdubio [et] post praesentem sanctionem propter sui naturam, quae aditionem heredis expectant, ab adita hereditate una cum aliis, quae servis in testamento manumissis, vel aliis legitimis relicta sunt, competentibus. Excepto etiam usufructu, qui sui natura ad heredes legatarii transmitti non patitur: quia neque a morte testatoris, neque ab adita hereditate, quantum ad transmissionem, dies ejus cedit. Sed haec omnia in his observari sancimus secundum praefatam dispositionem, quae pure, vel in diem certum relicta fuerint. — § 7. Sin autem aliquid sub conditione relinquatur, vel casuali, vel potestativa, vel mixta: quorum eventus ex fortuna, vel ex honorata personae voluntate, vel ex utroque pendeat, vel sub incerto die: expectari oportet conditionis eventum, sub qua fuerit derelictum, vel diem: ut tunc cedat, cum vel conditio impleatur, vel dies incertus exiterit. Quod si in medio is, qui ex testamento lucrum sortitus est, decedat, vel eo superveniente conditio defecerit, hoc, quod ideo non prevaluit, manere disponimus simili modo apud eos, a quibus relictum est: nisi et hic vel substitutus relictum accipiat, vel conjunctus, sive heres, sive legatarius hoc acquirat: cum certi juris sit, et in institutionibus, et legatis, et fideicommissis, et mortis causa donationibus posse substitui.

§ 8. Sed ut manifestetur pro qua parte manere oportet hoc, quod fuerit defectum, apud eos, a quibus sit derelictum: sancimus, si quidem ad heredes lucrum perveniat, pro parte hereditaria fieri ejus distributionem: cum et ab ipsis simili modo si valuisset, praestaretur, nisi nominatim ab uno, vel a certis heredibus fuerit derelictum: tunc enim quemadmodum solus, vel soli praestabatur, ita et lucrum sentient. Sin autem legatarii, vel fideicommissarii sint, vel mortis causa donatione honorati, vel alia forte persona, quae fideicommissum praegravari potest, et hoc evanescat: manere hoc apud enumeratas personas sancimus pro virili omni-

4. § 3, infr. h. l. — 5. § 4, infr. eod. — 6. § 5, infr. eod. adde l. 5, sup. de condit. inst. — 7. Confer l. 25, in fin. l. 88, § 15, D. de legat. 2. — 8. l. ult. D. de his qui pro non scriptis: l. 26, § 6, D. de fideicom. libert. — 9. § 2, sup. h. l. — 40. Confer § 5, sup. eod. — 41. l. 5, sup. de jur. delicti: juncta l. un. infr. tit. prox. — 12. l. 1, in fin. D. de jur. et facti ignor. — 13. § 1, in fin. sup. h. l.: excipit § 6, infr. eod. — 14. Fac. l. 64, in fin. D. de furtis. — 15. l. 7, sup. de jur. delicti: excipit l. 15, l. 19, sup. eod.: l. un. infr. tit. prox. l. 84, D. de acquir. vel omit. hered. l. 5, § 3, D. de St. Sili. — 16. d. l. 18, d. l. un. — 17. d. l. un. — 18. l. 8, D. quando dies legat.: adde l. 14, D. qui testam. facere possunt; l. 74, in fin. D. de acquir. vel

nimodo portione, id est, pro numero personarum. — § 9. Ne autem hoc, quod non ineleganter summi ingenii vir Ulpianus in hac parte cum omni subtilitate disposuit, praetereatur, sanctione nostra hoc apertius inducimus. Cum enim jam statuimus hoc cum suis oneribus ad eum, qui lucratur, pervenire, sancimus, si quidem conditio, vel aliud gravamen in dando sit constitutum: hoc omnimodo lucrantes pro modo lucri agnoscere. Sin autem in faciendo aliquid impositum est: si quidem hoc per alium impleri possit, simili modo et a lucrante agnoscatur: puta si honorata persona jubeatur insulam, vel monumentum, vel aliud tale suis sumptibus facere, vel heredi, vel legatario, vel alii forte, cui testator voluerit: vel rem ab herede testatoris emere, vel locationem, vel fidejussionem subire, et si quid hujusmodi facti simile sit: nihil enim refert, sive per eum, de quo testator locutus est, sive per alium ejusdem lucri successorem adimpleatur. Sin vero talis est verborum conceptio, et facti natura, ut quod relictum est, ab alio impleri non possit: tunc etsi lucrum ad aliquem pervenerit, non tamen et gravamen sequi: quia hoc neque ipsa natura concedit, neque testator voluit. Quid enim si [testator] jussit eum in certum locum abire, vel liberalibus studiis imbui, vel domum suis manibus extruere, vel pingere, vel uxorem ducere? quae omnia testatoris voluntas in ipsis solius persona intelligitur conclusisse, cui et suam munificentiam relinquebat. Hoc videlicet in omnibus obtinente, ut pro simili parte lucrum sentiant, et gravamen, ubi hoc possit procedere, subeant. Et [hoc] locum habente omni quidem modo in his quae in causa caduci, vel caduca (secundum quod supra dictum est) fiebant: in pro non scriptis autem, non omnibus, sed quibusdam: quia eorum quaedam, etsi talia sint, tamen cum suo onere veniebant: quae [et] nos in novi juris compositione specialiter enumerari jussimus, ne quis veteris juris prolixitatem quasi rebus necessarium, vel pro eorum revolvat scientia.

§ 10. His ita definitis, cum in superiore parte nostrae sanctionis in plurimis locis conjuncti fecimus mentionem, necessarium esse duximus omnem inspectionem hujus articuli latius, et cum subtiliori tractatu dirimere, ut sit omnibus et hoc apertissime constitutum. Non enim tantum conjunctivo modo quaedam relinquuntur, sed etiam disjunctivo. In his itaque si quidem coheredes sunt omnes conjunctim, vel omnes disjunctim vel instituti vel substituti: hoc, quod fuerit quoque modo evacuat, si in parte hereditatis, vel partibus consistat, aliis coheredibus cum suo gravamine pro hereditaria parte, etiam si jam defuncti sint, acquiratur: et [hoc] nolentibus ipso jure accrescat, si suas portiones jam agnovissent: cum sit absurdum, ejusdem hereditatis partem quidem agnoscere, partem vero respicere, secundum quod in divini nostri numinis decisionibus statutum est. Sin vero quidam ex heredibus institutis [vel substitutis] permixti sunt, et alii conjunctim, alii disjunctim nuncupati: tunc siquidem ex conjunctis aliquis deficiat, hoc omnimodo ad solos conjunctos cum suo veniat onere, id est, pro parte hereditatis, quae ad eos pervenit. Sin autem ex his, qui disjunctim scripti sunt, aliquid evanescat: hoc non ad solos disjunctos, sed ad omnes tam conjunctos, quam etiam disjunctos similiter cum suo onere pro portione hereditatis perveniat. Hoc ita tam varie, quia conjuncti quidem propter unitatem sermonis quasi in unum corpus redacti sunt, et partem conjunctorum sibi heredum quasi suam praecipiant: disjuncti vero ab ipso testatoris sermone apertissime sunt discreti, ut suum quidem habeant: alienum autem non soli appetant, sed cum omnibus coheredibus suis accipiant. Et haec in heredibus tantummodo statuenda sunt.

§ 11. Ubi autem legatarii, vel fideicommissarii duo forte, vel plures sunt, quibus aliquid relictum sit; siquidem hoc conjunctim relinquatur: et omnes veniant ad legatum, et pro sua portione quisque hoc habeat. Si vero pars quaedam ex his deficiat, sancimus eam omnibus, si habere maluerint, pro virili portione cum omni suo onere adrescere: vel si omnes noluerint, tunc apud eos remanere, a quibus derelictum est. Cum vero quidam voluerint, quidam noluerint: volentibus solummodo id totum accedere. Sin autem disjunctim fuerit relictum, siquidem omnes hoc accipere et poterint et maluerint, suam quisque partem pro virili portione accipiat: et non sibi blandiantur, ut unus quidem rem, alii autem singuli solidam ejus rei estimationem accipere desiderent: cum hujusmodi legatariorum avaritiam antiquitas varia mente susceperit, in uno tantummodo [genere] legati eam accipiens, in aliis respuendam esse existimans. Nos autem omnimodo repellimus, unam omnibus naturam legatis, et fideicommissis imponentes, et antiquam dissonantiam in nam

omit. hered. — 19. l. 7, in fin. D. quando dies legat. — 20. l. 2, D. d. t. — 21. l. 11, § 1, D. de condit. et demonstr. — 22. l. 5, § 2, D. quando dies legat. — 23. Adde l. 65, D. de condit. et demonstr. — 24. l. 9, sup. de fideicom. — 25. § 10, infr. h. l. — 26. § 4, sup. eod. — 27. Adde l. 6, § 7, D. de stalliberis. — 28. l. 51, D. de solutionib. — 29. § 2, vera vel vivo, in fin.: § 4, sup. h. l. — 30. d. § 2, in fin.: § 5. — 31. d. § 2, pr. et § 3. — 32. § 5, § 4, § 2, in fin. — 33. l. 80, l. 89, D. de legat. 3: l. 142, D. de verb. signif. — 34. d. l. 142. — 35. § 8, in fin. sup. h. l. — 36. l. 55, pr. D. de acquir. vel omit. hered. — 37. l. 1, l. 2, D. d. t. — l. 20, in fin. sup. de jur. delicti. — 38. l. 7, pr. D. de rebus dubiis. — 39. l. 1, D. de legat. 1.

trahentes concordiam. Hoc autem ita fieri sancimus, nisi testator apertissime et expressim disposuerit<sup>40</sup>, ut uni quidem res solida, aliis autem estimatio rei singulis in scilicetum prestatetur. Sin vero non omnes legatarii, quibus separatim<sup>41</sup> res relicta sit, in ejus acquisitionem concurrant, sed unus forte eam accipiat: hac solida ejus sit: quia sermo testatoris omnibus prima facie solidam assignare videtur, aliis superventibus partes a priore abstrahentibus, ut ex aliorum quidem concursu prioris legatum minuatur. Sin vero nemo alius veniat, vel venire poterit: tunc non vacatur pars, quae deficit, nec alii accrescit, ut ejus, qui primus accepit, legatum augere videatur: sed apud ipsum, qui habet, solida remaneat: nullius concursu deminuta. Et ideo si unus fuerit in persona ejus, apud quem remanet legatum adscriptum: hoc omnimodo impleat, ut voluntati testatoris pareatur. Sin autem ad deficientis personam [hoc] onus fuerit collatum: hoc non sentiat is, qui non alienum, sed suum [tantum] legatum imminutum habet. Sed et varietatis non in occulto sit ratio: cum ideo videatur testator disjunctim hoc reliquisse, ut unusquisque suum onus, non alienum agnoscat: nam si contrarium volebat, nulla erit difficultas conjunctim ea disponere. — § 12. Quae autem antiquis legibus dicta sunt de his, quae ut indignis<sup>42</sup> auferuntur, et nos simili modo intacta servamus: sive in nostrum fiscum, sive in alias<sup>43</sup> personas perveniant. — § 13. Cum autem in superiore parte<sup>44</sup> legis non aditam hereditatem minime, nisi quibusdam<sup>45</sup> personis, ad heredes [defuncti] transmitti disposuimus, necesse est, si quis solidam hereditatem non adierit, hanc, si quidem habeat substitutum<sup>46</sup>, ad eum, si voluerit, et potuerit, pervenire. Quod si hoc non sit: vel ab intestato successores eam suscipiant: vel si nulli sint, vel accipere nolint, vel aliquo modo non capiant: tunc ad nostrum aerarium devolvatur. — § 14. Hac autem omnia locum habere censem, tam in testamentis, sive in scriptis, sive sine scriptis habitis, quam in codicillis, et omni ultimo elogio, vel si quid ab intestato fuerit derelictum, nec non in mortis causa donationibus. Tantum etenim nobis superest clementiae, quod scientes etiam fiscum nostrum ultimum ad caducorum vindicationem vocari, tamen nec illi perperimus<sup>47</sup>, nec Augustum privilegium exerceamus: sed quod communitate omnibus prodest, hoc [rei] privatae nostrae utilitati praefendum esse censem, nostrum esse proprium subjectorum commodum imperialiter existimantes. — § 15. Locum autem huic legi constituimus in his defunctorum elogiis, quae posthac composita fuerint: anteriores etenim casus suo Marte discurre concedimus. — § 16. Hac omnia ad vos, patres conscripti, duximus esse sancienda: [scilicet] ut nemini maneant incognitis nostrae benevolentiae labor: sed edictis<sup>48</sup> ex solennitate a nostris magistratibus propositis, omnibus innotescat. — Dat. kal. Jun. Constantinop., DN. JUSTIN. A. P. P. 5 et PAUL. V. C. COSS. 534.

TIT. LII.

DE HIS QUI ANTE APERTAS TABULAS HEREDITATEM TRANSMITTUNT.

1. Imp. THEODOS. et VALENT. AA. Hormisdæ P. P.  
Per hanc jubemus sanctionem, in posterum [valitaram] filios<sup>2</sup>, seu filias: nepotes, aut neptes, pronepotes, aut proneptes, a patre, vel matre; avo, vel avia; proavo, vel proavia scriptos heredes: licet non sint invicem substituti, seu cum extraneis, seu soli sint instituti, et ante apertas<sup>3</sup> tabulas defuncti (sive se noverint scriptos heredes, sive ignoraverint) in liberos suos<sup>4</sup>, cujuscunque<sup>5</sup> sint sexus, vel gradus, derelictam sibi hereditariam portionem posse transmittere: memoratasque personas (si tamen hereditatem non recusant) nulla hujusmodi praescriptione sibi obstante, eam tanquam debitam vindicare. Quod scilicet etiam super legatis, seu fideicommissis a patre, vel a matre; avo, vel avia, proavo, vel proavia derelictis locum habet. Siquidem perindignum est, fortuitas ob causas, vel casus humanos, nepotes, aut neptes, pronepotes, aut proneptes, avita, vel proavia successione fraudari, aliosque adversus avitum, vel proavitum desiderium, vel institutum in sperato legati commodo, vel hereditatis gaudere. Habeant vero solatium tristitiæ suæ, quibus est merito consulendum. — Dat. 3 non. april. post consulatum PROTOGENIS et ASTERII 450.

40. L. 35, l. 82, § 2, d. d. t. l. 15, in fin. l. 20, d. de legat. 1. l. 11, d. de usu et usufr. legat. — 41. l. 1, § pen. d. de usufr. accresc. — 42. Tit. de his, quae ut indigni. — 43. l. 7, supr. de donat. inter vir. et uxor. l. pen. supr. de legat. — 44. § 2, supr. l. 7, supr. de jure delib.; adde l. un. iofe. tit. prox. — 45. d. § 2, d. l. 7, d. l. un. — 46. l. 3, § 2, d. de honor. possess. secund. tab.; adde N. 1. c. 1, § 1, 2, 5. — 47. Adde l. 1, in fin. supr. de secund. nupt. l. 10, d. de jure fisci. — 48. Const. de Just. Cod. confirm. in fin. Tit. LII. — 1. l. un. § 2, supr. tit. prox. — 2. d. l. un. § 8 et § 15; l. 1, § 8, d. de collat. boner. — 3. d. § 5. — 4. l. 18, § 2, supr. de jure delib. — 5. l. 24, in fin. d. de legat. 1; adde l. 84, d. de acquir. vel omitt. hered. Tit. LIII. — 1. l. 36, d. 2. — 2. l. 12, § 4, d. h. t.; vide tamen l. 15, l. 45; l. 158,

TIT. LIII.

QUANDO<sup>1</sup> DIES LEGATI, VEL FIDEICOMMISSI CEDIT.

1. Imp. SEVERUS et ANTONINUS AA. Agrippæ.  
Si competenti judici annua legata, vel fideicommissa tibi relicta probaveris, ab initio<sup>2</sup> cujusque anni exigendi ea habebis facultatem. — Supposita 3 kalend. Jun. SATURNINI et GALLO COSS. 199.  
2. Idem, AA. Prisco.  
Agrum pluribus relictum nominatim animadvertimus: et cautum esse, ut ad eum qui superfuisset<sup>3</sup>, pertineret: quicumque igitur is fuerit: ad heredem suum<sup>4</sup>, dominum transmitti, nec tali fideicommissio adstringitur. — P. P. 5 kal. August. CHILONE et LIBONE COSS. 205.  
3. Idem, AA. Eliae.  
Si Pontionilla ad eam<sup>5</sup> ætatem pervenit, cui legatum, vel fideicommissum relictum erat, petitionem ad heredes transmitti, licet ante decesserit, quam consequeretur legatum, vel fideicommissum. — P. P. 5 kal. Aug. CHILONE et LIBONE COSS. 205.  
4. Idem, AA. Ammiae.  
Cum uxori usufructus fundi legatur, et ejus proprietatem, cum liberis habuerit; nato filio<sup>6</sup> statim proprietatis legati dies cedit: nec quicquam obest, si is decedat. — P. P. kal. August. ANTONINO A. 5, GETA item 3, COSS. 209.  
5. Imp. ALEXAND. A. Maximo.  
Ex his verbis, do, lego Eliae Severinae filiae meae, et Secunda decem: quae legata accipere debet, cum<sup>1</sup> ad legatum statum<sup>2</sup> pervenerit: non conditio<sup>3</sup> fideicommissi, vel legato inserta, sed petitio in tempus legitima ætatis dilata videtur. Et ideo, si Elia Severina filia testatoris, cui legatum relictum est, die legati cedente, vita functa est, ad heredem suum actionem transmitti; scilicet ut eo tempore solutio fiat, quo Severina, si rebus humanis subtrahere non fuisset, vigesimumquintum annum ætatis impleset. Non ceptum enim annum, sed impletum<sup>4</sup>, si de emolumento relicti fideicommissi tractetur, expectandum esse [juris] prudentibus placuit. — P. P. 15 kal. Januar. ALEXANDRO A. 2 et MARCELLO COSS. 227.

6. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Eusebio.  
Si fideicommissum ab intestato<sup>1</sup> fuerit sorori tuæ relictum codicillis, et posteaquam dies fideicommissi cessit<sup>2</sup>, [rebus humanis, licet] ignorans<sup>3</sup> fideicommissum, excesserit: actionem hujusmodi acquiri<sup>4</sup> potuisse, dissimulare non poteris: salva scilicet ab intestato succedenti quarta portione. — Suppos. kal. Maji, Trallis, AA. COSS.

TIT. LIV.

UT IN POSSESSIONEM LEGATORUM<sup>1</sup>, VEL FIDEICOMMISSORUM SERVANDORUM CAUSA MITTATUR, ET QUANDO SATISDARI<sup>2</sup> DEBEAT.

1. Divus ANTON. Pius Salvio.  
Quoniam nihil actor amplius postulat, quam ut fideicommissi nomine satisdeatur: non debet is, qui juri dicendo praest, subtiliter<sup>3</sup> cognoscere, debeatur necne fideicommissum, sed tantum decernere, ut satisdeatur. — Sine die et consule.  
2. Divus MARCUS Stratonica.  
Ipsis rerum experimentis cognovimus ad publicam utilitatem pertinere, ut satisfactiones, quae voluntatis defunctorum tuendæ gratia in legatis, et fideicommissis introductæ sunt, eorumdem voluntate remitti<sup>4</sup> possint. Quocumque enim<sup>5</sup> iudicio voluntatis cautio legati, vel fideicommissi remitti potest. — Sine die et consule.  
3. Imp. SEVER. et ANTON. AA. Symphoro.  
Si<sup>6</sup> postquam servandi legati, seu fideicommissi gratia in possessionem

D. de verb. obligat. — 3. l. 87, § 2, d. de legat. 2. — 4. Adde l. 78, § 5, d. d. t. — 5. l. 5, pr. d. h. t. — 6. l. 1, supr. de condit. insert. — 7. l. 22, d. h. t. — 8. l. 13, d. de probat. l. 77, § 14, d. de legat. 2. — 9. l. 46, in fin. d. ad SC. Trebell. l. 26, § 1, d. h. t. — 10. l. 49, § 3, d. de legat. 3; adde l. 8, d. de munerib. et honor. — 11. l. 3, supr. ad SC. Trebell. — 12. l. 6, in fin. d. h. t. — 13. l. 77, § 3, d. de legat. 2. — 14. Par. l. 64, in fin. d. de furt. Tit. LIV. — 1. l. 36, d. 4. — 2. l. 36, d. 5. — 3. l. 5, § 2, d. h. t.; fac. l. 14, in fin. d. de legat. servand. causa car. — 4. l. 4, in fin. l. 7, infr. h. t. — 5. l. 77, in fin. d. de condit. et demonstr. — 6. l. 3, infr. qui potiores in pignori.

inductus es, pignoris obligatio, aut venditio ab herede intervenerit: praecedere<sup>7</sup> causam tuam quam jure praetorio<sup>8</sup> veluti pignus habuisti, manifestum est. — P. P. 11 kal. decemb. DEXTRO et PRISCO COSS. 197.  
4. Imp. ANTONINUS A. Protogoræ.  
Cum Artemidoram patri pupillorum tuorum heredem extitisse proponas: quamvis ut fideicommissam hereditatem his, cum moreretur, restituere petita sit, nullam tamen adversus debitores hereditarios habent pupilli tui actionem. Plane, ut satis fideicommissorum nomine Artemidora det, (si modo testator id fieri non prohibuerit<sup>9</sup>) apud tuum iudicem conveni. — P. P. kal. Julii, LÆTO 2 et CEREALE COSS. 216.  
5. Imp. ALEXANDER A. Paulinae.  
Qui legati, sive fideicommissi causa in possessionem mittuntur, non proprietatem<sup>10</sup> nanciscuntur, sed jus pignoris<sup>11</sup>. Ut autem, et post receptum pignus satisfiat defuncti voluntati, competens iudex te aduente providebit. — P. P. id. August. JULIANO 2 et CRISPINO COSS. 225.  
6. Idem, A. Donato.  
Certa est forma jurisdictionis, quae fideicommissi servandi causa in possessionem rerum, quae in causa hereditaria sunt, aut dolo malo esse desiderint, is, cui legati, vel fideicommissi nomine satis non datur, mittitur, vel in proprias<sup>12</sup> res heredis, si fideicommissi satis non sit post sex menses quam peti ceperit, secundum divi Antonini<sup>13</sup> patris mei constitutionem. — P. P. 6 id. Januar. FUSCO 2 et DEXTRO COSS. 226.  
7. Idem, A. Proculiano.  
Scire debetis, fideicommissi [quidem,] et legati satisfactionem remitti posse<sup>14</sup>, divum Marcum et divum Commodum constituisse. Ut autem boni viri arbitratu is, cui usufructus relictus est, utatur fruatur: minime satisfactionem remitti testamento posse. — P. P. 10 kal. Martii, FUSCO 2 et DEXTRO COSS. 226.  
8. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Zenodoro.  
Contra eos, sive successores eorum, qui republicam administrantes<sup>15</sup> per officii necessitatem civitati sub conditione relicti fideicommissi satis accipere debuerant, quanti republica intererit satis acceptum non esse, iurigendam certum est actionem. — Suppos. 7 kal. Mart. CC. COSS.

TIT. LV.

DE SUI<sup>1</sup>, ET LEGITIMIS LIBERIS, ET EX FILIA NEPOTIBUS AB INTESTATO VENIENTIBUS.

1. Imp. SEVERUS et ANTONINUS AA. Crispinae.  
Si fratri tuo legitima<sup>2</sup> heres esse potes centum dierum praefinitione non excluderis ab acquirenda hereditate. — P. P. 3 non. novemb. ANTONINO A. et GETA 2 COSS. 206.  
2. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. Avia.  
Nepotes ex diversis filiis varii numeri avo succedentes ab intestato, non pro virilibus portionibus, sed ex stirpibus<sup>3</sup> succedunt. — S. 3 kal. Mart., Hadrianopoli, ipsis AA. 4 et 5 COSS. 209.  
3. Idem, AA. et CC. Frontoni.  
Ut intestato defuncti filius ac nepos ex alio, qui mortis ejus tempore in rebus humanis non invenitur, manentes in sacris pariter<sup>4</sup> succedant: evidenter lege duodecim tabularum cavetur: quod et honorarii juris observatio sequitur. — S. 15 kal. Jul. AA. COSS.  
4. Idem, AA. et CC. Marcellæ.  
Intestato [quidem] defuncto posthumus<sup>5</sup> suum heredem, quam sororem, licet consanguineam, haberi potiorum, ordo successionum lege duodecim tabularum<sup>6</sup> factus nimis evidenter demonstrat. — S. 6 id. dec. AA. COSS.  
5. Idem, AA. et CC. Appiano.  
Si te parens, in cujus fuisti potestate, solenniter in adoptionem<sup>7</sup> de dit: cum filiis naturalibus adoptivi patris ante, vel post quaesitis defuncto intestato succedere potes. — Dat. 6 kal. Mart. CC. COSS.  
6. Idem, AA. et CC. Posidonio.  
Ex libera conceptus et servo, velut spurius<sup>8</sup> habetur: nec ut decurionis filius (quamvis pater ejus [naturalis] manumissus, et natalibus<sup>9</sup> suis

7. Inno. vide l. 5, § 4, d. h. t. — 8. Infr. de praetor. pignori. — 9. l. 2, supr.; l. 7, infr. h. t. — 10. l. 5, pr. d. cod. — 11. d. l. 5, l. 3, § 1, d. de reb. eor. qui sub tut.; l. 12, d. pro emptore. — 12. l. 5, § 16, d. h. t. — 13. d. § 15. — 14. l. 2, supr. eod.; l. 12, d. ut legator. servand.; l. 77 in fin. d. de condit. et demonstr. — 15. l. 2, infr. de admin. rep. publ.; adde l. 26, d. de negot. gest. Tit. LV. — 1. l. 38, d. 16. — 2. Coffer l. 2, supr. qui admitti ad honor. possess. — 3. § 5, Instit. de heredit. quae ab intest.; N. 118, c. 1, vers. quam successionem. — 4. d. N. 118, c. 1. — 5. l. 3, § 9, d. h. t. — 6. d. 2, § 9. — 7. l. 1, § 6, d. unde liberi; § 2, Inst. de hered.

restitutus hunc adeptus fuit honorem) defendi potest. — Suppos. 6 id. februar. CC. COSS.

7. Idem, AA. et CC. Æmiliana.  
Filium habere suum libertus in potestate non prohibetur, cum ob praeteritum statum ex legitimis nuptiis ingenuorum exemplo filios habere liberto non sit interdictum. — S. 16 kal. Mart. CC. COSS.  
8. Idem, AA. et CC. Catoniae.  
Apud hostes patre defuncto, filia communis vobis, quo casu mortis scientia non postulatur, heres extitit sua, et ad te transmisit<sup>10</sup> successionem. — S. 12 kal. decemb. Nicomediae, CC. COSS.  
Avia, vel avia ab intestato morienti succedunt nepotes ex filia cum avunculis et materis, cum deminutione tertiae partis ejus portionis, in qua parens succederet, si viveret. Salic.  
9. Imp. VALENTIN., THEOD. et ARCAD. AAA. Constantino P. P.  
Si defunctus cujuscunque sexus, aut numeri reliquerit filios, et ex filia diem functa, cujuscunque sexus, aut numeri nepotes, ejus partis, quam defuncta superstes patri inter fratres suos fuisset habitura, duas partes consequantur nepotes ex eadem filia: tertia<sup>11</sup> pars fratribus, sororibusve ejus quae defuncta est, id est, filiis, filiabusque ejus de cujus bonis agitur, avunculis scilicet, sive materis eorum, quorum commodo legem sancimus, accrescat. Haec eadem, quae de avi materni bonis constituimus, et de avia maternæ, sive etiam paternæ simili æquitate sancimus: nisi forte avia elogio inurenda<sup>12</sup> impiis nepotibus justa semotis ratione dixerit, [et hoc fuerit legibus approbatum]. Non solum autem si intestatus avus, aviave decesserit, haec nepotibus, quae sancimus, jura servamus: sed et si avus, vel avia, quibus hujusmodi nepotes erunt; testati obierint, et praeterierint nepotes, aut exheredaverint. Eadem et de injusto avorum testamento. Et si quae filiae poterant vel de re, vel de lite competere actiones, nepotibus deferimus secundum justum nostrae legis modum, quae de parentum inofficioso testamento competunt filiis. — Dat. 8 kal. Mart. Mediolani, TIMASIO et PROMOTO COSS. 389.  
10. Imp. THEOD. et VALENTIN. AA. Maximo P. P.  
Ubi aviarum successio morte interveniente discutitur, capitis<sup>13</sup> deminutio paterna quaerenda non est, tunc enim in hujusmodi hereditatibus filiorum status, aut persona spectatur, quotiens de ejus bonis, qui potestatem familiae potuit habere, tractatur. — Dat. 15 kal. octob. Ravenna, THEODOSIO 15 et VALENTINIANO 5 AA. COSS. 420.  
11. Imp. THEODOS. et VALENT. AA. ad Senatum urbis Romae.  
Si matre<sup>14</sup> superstite filius, vel filia, qui quæve moritur, filios dereliquerit: omnimodo patri suo, matrive [suae] ipso jure succedant, quod sine dubio et de pronepotibus observandum [esse] censem. — Dat. id. novemb. THEOD. 15 et VALENTIN. [3] AA. COSS. 450.  
12. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ P. P.  
Quotiens aliquis, vel aliqua, intestatus, vel intestata, mortuus, vel mortua fuerit, nepotibus, vel pronepotibus cujuscunque sexus, vel deinceps aliis descendentibus derelictis, quibus unde liberi bonorum possessio minime competit, et insuper ex latere quibus cunque agnatis, minime possint iidem agnati<sup>15</sup> quartam partem hereditatis mortuae personæ, sibi vindicare, sed descendentes soli<sup>16</sup> ad mortui successionem vocentur. Quod tantum in futuris<sup>17</sup>, non etiam praeteritis negotiis servari decernimus. — Dat. kal. Jul. Constantinop. DN. JUSTINIANO A. P. P. 2 COSS. 528.  
In AUTHENT. de heredibus ab intestato, § 1, col. 9, tit. 1, ex Novell. 118, cap. 1.  
In successionem mortui patrisfamilias, sive filiifamilias liberi ejus si sunt, omnibus aliis praelati succedunt. Primi quidem gradus aequaliter succedunt: nepotes et ulteriores in stirpes<sup>18</sup>; non distinguendo sexum<sup>19</sup>, vel jura potestatis<sup>20</sup>, sed sola naturali causa inspecta.

TIT. LVI.

AD SENATUSCONSULTUM TERTULLIANUM<sup>1</sup>.

1. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Vivianæ.  
Licet<sup>2</sup> liberi matribus ab intestato ita demum per se heredes existant, si fari<sup>3</sup> possint: tamen matres liberis, etiam si infantes nature concesserint, quae ab intest. — 8. § 12, Inst. de nupt. — 9. l. 2, supr. de natalib. restit. — 10. l. un. § 2, supr. de caducis toll. l. un. supr. de his qui ante apertas tab. — 11. l. 19, supr. de collationib.; § 15, Inst. de hered. quae ab intest. atrog. l. ult. Auth. in successionem, infr. h. t. — 12. l. 15, c. 4. — 13. l. 15, supr. ex quib. caus. infam. — 14. Adde l. 1, § 4, d. h. t. — 15. l. 2, § 6, d. § 3, Inst. ad SC. Tertull.; N. 118, c. 1. — 16. atrog. pars l. 9, supr. h. t. — 17. N. 18, c. 4; N. 118, c. 1. — 18. l. 7, supr. de legib. — 19. l. 2, supr. h. t. — 20. atrog. l. 9, supr. eod. — 20. l. 10, supr. eod. Tit. LVI. — 1. l. 38, d. 17; l. 3, Inst. 3. — 2. N. 118. — 3. l. 18, supr. de jure delib.